Di Eusebio Cerimo

426

Pro Immaculatâ Deiparæ Origine
Declamatio Sacra genere Iudicialj
Ipso Virginis lustratæ die.

Nihil unquam iucundius eo sensu diei huius mihi visum est, quo non solum Deiparæ Matris nostræ, puritas intra Virginitatem innotescit, verum etiam ad illibatam usque conceptionem venustius aperitur: quod idem intelligebam per hosce dies optimo cuique videri. Qui enim bellum aliquod opinionis, cum intemerato Virginis conceptu gerunt, hanc diei munditiam solo Virginitatis candore circumscribunt; innocuumque Virginis ingressum in vitam a longe salutant, utpote quem lustratum in origine libenter existimant. Sed quae velam præteritorum temporum sustulit oratio sanctissimi Principis Ecclesiæ: qui de Immaculata Virgine ita loquutus est, ut eiusdem per mundum evulgandæ, commendandæque, summa facultas sit. Atque ut oratio eiusdem animos piorum erexit, ita mihi stimulum addidit, cum alias ob tempora non licuit, vel nunc de ea animosius disserendi. Hic enim dies illuxit, ob tempora hæc potestas data est, ut quantum certitudinis, quantum evidentiæ, quantum teneræ lactisque pietatis, in opinione de purissimo conceptu Virginis, situm sit, audire possetis. Recordamini quod nuper tripudium Hispaniam omnem invaserit, quanto consensu hominum, D. Ferdinandi Quirini de Salazar Audiis comprobatum sit, quantas laudes, quantum gloriæ sit consequutus. Atque illo opere non nisi summam innocentiam Virginis, integritatemque etiam debiti omnis expertem describit. Ut quibusdam doctissimis alioqui, religiosissimisque hominibus, nihil iam sit integrum, nisi aut pravorum sensus, aut devotio similis. Nunc vero si quis est, qui magnæ Virginis in privilegio fundatas opes ~~[illegible]~~ puritatis ac gratiæ, quod hoc de fide nondum sit, non inconcusse ~~oratio~~ ac certo affirmandum putet, adscribat ad iudicium suum, non modo meam, sed nunc etiam Virginis Deiparæ sententiam, neque enim cuiquam eius puritas conceptus fide firmata creditaque, vehementius quam ipsi displicet. Quanquam hoc subinde facimus, ut rem ~~cætero quis~~ satis probabilem, sola fide Dei ponderemus, et cui quidquam bene videatur alioquin, multum illum opinari dicamus. Si existeret de Virginis conceptu revelatio, nihil eo argumento certius esset: quia vero nondum est, nihil eo minus certum dicitur: Ut iam nihil esse videatur honeste opinari, nisi divina fide firmiter credentis. Sed tamen si quis est, qui illam confutatam (ut volunt) opinionem sibi retinendam putet, ego ei fatalem literam non adiicio, nedum damno: illud tamen egregie contendo, ut cum a tot sapientissimis viris, videat huius Immaculatæ conceptionis principia esse exposita, ne quid nimis fortasse opinetur. Satis est homines in pio studio laborantes ultro non adiutare: tardare vero properantes, profecto non est opportunum, præsertim cum sit hoc hominum generi prope naturâ datum, uti qua in materia veritas aliqua cum plausu apparuerit, hanc fere qui sunt facilis et excitatæ ad bonum mentis (quod appetitus rationalis scientiæ luce quavis provocetur) cupidissime prosequantur.

Sed monet contra etiam humana Virginis conditio: posteritatis tracta ab Adam ratio, in origine maculam denunciat. Deniq; voluntas eiusdem absolutè capax labi in deterius, nota est: simul etiam sollicitudo aliqua legum, et iudiciorum Dei maior quidam metus, non usquequaq; omnia quæ purissimæ quadrent, Virgini infuisse videantur. Nos ista non negamus (ita enim disputant alij) sed hanc puritatem quam volumus, secreta et praeordinata multum via asserimus. Quæ quoniam vestro, adversarij, favore caret, careat etiam molestia. Iam es tu defensor, quam ego oppugnator. Ita est: sed tu istud petijsti, ego hoc cogor: quam aut defensorem mihi esse non liceat, aut robur oppugnationis tuæ non timere.

Tu inquis ut Societati Iesu morem geras, hanc opinionem assumpsisti. Non patitur mea ingenuitas de me speciosius loqui, quam enim rem a parvulo puero (ut Plautus loquitur) sive à teneris ut græci aiunt unguiculis, quasi cum lacte nutricis imbiberim, optimo quidem maximiq; nominis sociorum coetui Iesu, adscribere non debeo: quo adhuc hortante, si me teneræ ætatis persuasio, non commovisset, etiam nunc perseverans rei congruitas decentiaq; sibi devinciret. Sed tamen, cum ita dicis Societatis hortatu hanc opinionem esse complexum: si Societatis venerandæ auctoritati fidem non habes, obliviscerisne etiam oppugnationis tuæ? Societas se id fecisse dicebat, clarioris causa veritatis, quod incommoda ex alia sententia timeret, quod gloriam tantæ Matris diminuendam putaret. Et iure insuper id sibi licuisse dicebat. Tu vero negas: ignosco et eo magis, quo est contra illud à longe sapientissimis iudicatum. Redeo igitur ad rem, et nervum oppugnationis tuæ. quid [illegible] Virginem nostram protinus humanam fuisse? huic videlicet peccatum addendum fuit, quæ plusquam hominem Christum ut sine peccato progigneret, peccatum tamen antequam progigneret, quasi hæreditate adiret. Beata mater nostra, quaqua via ortum invenit in hanc lucem, humana invenit: sive ut ego cupio puritatem ante habuit: sive ut tu vis, labem. Num naturæ humanæ particeps, communem maculam habuit? negat: ~~non~~ non ad Mariam, cuius id sane debitum, aut eius solutio non erat; sed ad reliquam massam generis Adam pertinebat. At per facultatem absolutam peccare potuit. ~~Et~~ quidem in Dei domo præsentata est: & vita eius templi præsidijs non vulgariter communita. Multa præterea, quæ fragilitas, quæ necessitas coegit ferre, timore, tulit, timuit. Quarum rerum omnium una comprehensio, ac comprehensionis ~~ea~~ + ea vis est, quod vere aliud quam homo non fuerit, quod humanitate filij sui ob adiunctam illi Dei personam, longe inferior. Verum si recte attendimus Virgo Deipara, nobis quoad naturæ miseriam usquequaque similis extitit; quid enim similius nobis, quam posse peccare, fragilitati obviam esse, necessitati subire, deniq; solenne illud experiri mortalium, dolere et angi. quibus suo modo suadentibus trahentibusq;, si Deus proprius non assistat auxilio singulari, à ratione sæpius deviandum sit.

Sed ego in his magnæ Virgini non ignoscam, homini non ad Theandricas operationes nato. quis Christum Virtutem Dei ac Sapientiam, novi, iam imminentem mortem formidasse plurimum, ac quandoque liberalibus lachrymis indulsisse. Plane confiteor nihil magis communem labem arguimur, quam inordinatè flevisse, timuisse, cæteraque, ipsi genus humanæ post lapsum Adami imbecillitatis indicia demonstrasse. Sed harum omnium affectionum vim atque impetum Spiritus S.ti virtus, ac moderamen inflexit. ut hæc in Virgine humanæ sortis facinora, quod fleverit, metuerit, sapienter ac optime gesta videantur. Siquidem tam hominis semper fragilis est, quam gratia favoreque numinis prævenit, confirmatique, cum onere suo impeditus sit, quoquomodo Deo visum fuerit, ipsum portando sese expedire. Quamobrem illud maneat et fixum sit, quod neque evelli, neque mutari potest: in quo quidam præcellere Virginem dicunt, alii concedunt, ipsa autem gloriose cantat. MAGNIFICAT ANIMA MEA DNUM: ET EXULTAVIT SPIRITUS MEUS IN DEO SALUTARI MEO. QUIA RESPEXIT HUMILITATEM ANCILLÆ SUÆ ECCE ENIM EX HOC BEATAM ME DICENT OMNES GENERATIONES. FECIT MIHI MAGNA QUI POTENS EST & SANCTUM NOMEN EIUS &c. homine quidem semel suscepto atque contracto, hæc perpetienda illi fuerunt, ut germana Adæ filia numeraretur, Itaque, obiicias licet quam voles sæpe, miseram ac patrandis criminibus obnoxiam fuisse, plura obtinuisse non supra humanam sortem collocatæ, quoties eorum quidquam dices, toties verum dices, atque illud, in persona sua verè hominem fuisse; sed minimè posterorum maculam adiiisse; calamitosa res humana pati: sed nulla erat eorum recusatio cum hominem induisset: rebellantis naturæ signum etiam, periculis peccandi patere facillimè, ni Deus opportunè adsit. Sed fragilitas communis naturæ habebat nomen hoc, non virgo imposuit; miramur in innocente ab initio ingressus in orbem, conditionem naturæ communis, sed sine illa non poterat formam hominis nec nomen possidere. Ergo aderat vis posteritatis, quæ cuncta pervadit deformatque. Infecta fuisset virgo, inquies, nam id sequitur. fuisset certè, si sine decore mater filii Dei tam impeditis generationis humanæ viis cum labe potuisset existere. Nolite igitur naturæ fortunam convertere in labem Virginis, nec fragilitatis legem, ipsum crimen vocare, nec communem miseriam ex peccato primi parentis deflorationem innocentiæ omnino primæ, in Matre Dei. Nisi forte Deos qui gratia munditiaque optime crediti cum sint, si ubi vacillant aut tentantur, omnis sanctimoniæ conferentis gratiæ expertes esse concedas. Nemo nostrum ignorat naturæ humanæ ac suæ consuetudinem, quamquam amplissima Dei in terris amicitia utatur. hominis inferioris sunt hæc imperia, attende mihi eo dicto pene, præter imperium ne ferare longius: adhuc illa querela corporis bruti,

Si mihi moria haud gesseris, emarcesco, relinquor ~~in aiie~~ inanis ac pereo. Quae non ut consentiamus audire et accipere debemus; verum ut caveamus et effugere discamus. At ex hoc ipso contemeratio Virginis in Conceptu colligitur. Dicat enim aliquis: dum natura hominum in omnium mortalium principe, peccato adhaesit, Vlyssis instar in hos errores flaccessuit. Non intelligo quis est hic errorum aut miseriae modus, aut in eam declinatio: utrum contractum peccati, ut in nobis contingit, an imbecillitatem significet. si ~~cur~~ contractum, natura Christi his penitus liberata non fuit. At non modo per se liberata non fuit, sed illis ultro coniungi sacra humanitas etiam atque etiam cupijt. Addo illud etiam: qui tandem convenit, aut ex ea naturae à lapsu inclinatione, labem originis supponi in Virgine, aut in tanta Christi Dni puritate: omne genus natalium affectionum inquisse? neque enim fuit naturae humanae Christi ter opt: maximique affectus relinquere sed assumptos persona sua auctoritateque moderari, uti et ter sanctae optimaeque Virginis ob merita filij sui eosdem per privilegium habere temperatos. Aderunt testes. S. Brigitta aliique in Ecclesia vitae innocentia insigni, Virginem ne tenuiter unquam numen aeternum offendisse. Ubi ergo illa suppositio, ubi vis inclinatioque naturae labem inditam persuadentis? Solerne id naturali modo habere signum maculae, quod cum ea ex privilegij iure nulla affinitatem habere potuit? aut si extra privilegium connexionem habet, potestne vere vero esse simile signum in ea, quae omnis privilegij capacissima et dignissima inventa fuit? At vero suas rationes omittant, auctoritatem allegare. S. Bernardus longe omnium famae Virginis huius amantissimus, studiosissimusque, eandem conceptus desti-ratione praeditam docet, confitetur. S. Thomas Aquinas quem scholae omnis sublimiores e caelo delapsum, et doctrina Angelum agnoscunt idipsum comprobat. recitat ille PP. aliorum in Dei ecclesia uberrima testimonia, rationemque inprimis eam adducit: quia puritatem naturae humanae Christi in ipsa Conceptione soli reservatam confessamque asserit. Quamobrem? quia tunc temporis tanta huius rei lux non erat, nunc nulla lux esse poterit? quid ergo? ista conditio praeclaraque indoles est auctoritatis? ut quibus bonis alioquin omnibus creditum sit olim doctoribus, ob lucis maioris inopia, nunc ijsdem cum plena copiosaque lux affulserit credatur. At si verum dixerunt ~~nunc~~ tunc, cum optima methodo dixerunt, nunc falluntur: si tunc falsi sunt, doceant nos veritatem, et magistri in scholis sint, quid volumus? sileant modo necesse est: dicere veritatem illi nos cognoscimus: illi errare, nos scire omnia. Sed mihi clarius nihil est, quam videre hominem istorum modum loquendi. dixerunt hoc modo ut audivistis. an non miramini ~~T~~ doctissimorum hominum vehementiam? tum temporis ob minus illustrem rerum ~~anti~~ aliquarum indagationem, S. Thomae sententia vera fuit, ergo modo est, ubi omnia ad inquisitionem usque capitalem Hispaniae praesertim cum tande inquirit? Veritatem nostram, sive quae apud homines sensu incipit, opinione proficit; demum satis demonstratione consummatur.

Ignorantiam oio filiam [temporis] apud graecos vocari. quod semel verum videtur, semper
videatur necesse est. Nec convocari in ordinem pacemque vivere quasi Comitiorum
centuriatorum opinando, cupiunt, quae controversa sunt in mea extra fidem posita
dubitandi. ~~Posteaquam rogaretur~~ Sed quid otiose hic pugno, ac imitatus Romanae
iuventutis honesta exercitia in disciplina militari, ad palum in Campo Martio
forte decerto, aut rudibus, aut ~~rudibus~~ teli ad pompam spectatorum in Amphi-
theatro? Ecce compello contra auctoritatem unum oem. Doctissime Complutensis
Academiae Achilles petre Hurtado de Mendoza. qui ab hinc anno succesissimo +
ad 3 D. Thomae partem commentario, probatissimoque stylo Hispaniae toti scripsit, neque
Bernardum neque Thomam neque ullum denique ex Sacrosanctae Ecclesiae dictatoribus
PP. nigram in eo quod Virginem conceptionis suae Principio contemeratam
existimarent sensisse fuisse. O praeclara viri sapientis industria! cui dum
atramentum laus Virginis Deiparae existit, non nisi albo usus, purissima
niveique instar candidissima ~~[illegible]~~ de Virginis in vitam introductione consig-
navit. At vero sanctissima Dei Mater in Conceptionis initio si prorsus innocena
puraque fuisset, cur id ipsum hactenus toties ab integerrimae vitae S. Brigitta,
et Catharina Senensi aliisque quamplurimis studiosius rogata, absconsisset? (sunt
enim multi qui ita loquuntur). Quod genus est tandem hoc argumenti? si id
rogata dixisset Virgo, tamen cur id se habere diceret, causa non esset. Quae
vero respondisset Divinam id sibi sapientiam unice reservasse, remque praeterea
Immaculati conceptus sui, bonis et honestis rationibus celari, quid esset tandem
causae cur existimari vellet, se puritatis in Conceptione expertem esse? an
cum ex providentissima numinis voluntate, ita celando respondebat, hoc agebat,
ut Innocentiae conceptus sui principio haberet quam plurimum: Posteaquam
rogaretur, ut pateretur egere? Sed prudens labem suam siluit, quod
~~luctum~~ cultum suum diminutum ex parte aliqua noluerit. Sic sensus aliquorum, et
sermo cuiusdam temporis. Verum autem si scire volumus, si omnes paullo plus
pietati, quam rationi formisque disputandi, cum sine damno fidei Catholicae
id fieri possit, obaudiremus: hanc quaestionem in mundo non haberemus. Quam
quidem pietatem devotionemque nos, N N. toto animo (clarius ex S. Bernardo
loquar) totis praecordiis, cunctis praecordiorum affectibus, complecti et augere
debemus. atque eo magis, quod haec opinio sancta, amoenius Magnae Virginis
dignitatem proponat. ex qua interea ILLI / ILLI nostrae Virgini, nil
detrahi potest, quod non aut fortiter ferat ipsa, aut facile quem nuper
pannis involvit primogenitus eius, gratulabunda manu restituat. satis multa

Haec hominibus Virgini optimae addictis esse debent, nimis etiam fortasse nobis. Eos nobiscum sentire cognovimus. Sed ut omnium vel suspicioni vel opinioni satisfiat. Dices. Virgo in conceptu maculam originis suscepit. Ecquis est qui hanc opinionem sibi tenere devoteque permitti velit! sed miserum ~~e~~ quanto hac dixi cum dolore! O Virgo tunc Mater VERBI. Tu filia PATRIS, Tu sponsa SPIRITUS SANCTI. Tunc illa, in omnes tuos liberalis? cuius plurimos bonitas locupletaverat, quae fugientem etiam retinuisti. S. Thoman ~~retinuisti~~ instruxisti? Tua in origine puritas (cum sine fidei iniuria facile putari possit): a me non putanda permittitur? O meum miserum acerbumque fatum! at hoc etiam permittit, donec Ecclesia definiat: ~~et~~ ut mens sua cuique privatim constet: nihil id aliud, nisi parvulum suum curat, cui arridet blandiens (ut videtis): nec vos hinc, si iam optimae devotionis oblivisci volueritis quidquam praeterea potestis eripere.

DIXI

... al ordine Sacro Albertum magnum.

3
1 2
———
7 2

.10.
Or.º q̃ ent.bin Labaci Lita